

19073.

25047

**RELATIONES**

DE

UNIVERSITATIS LITERARUM CAESAREAE DORPATENSIS

**NOSOCOMIO CHIRURGICO**

ANNO MDCCCLI.

---

AUCTOR

***Guilelmus Schmidt.***



**RELATIONES**

DE

UNIVERSITATIS LITERARUM CAESAREAE DORPATENSIS

**NOSOCOMIO CHIRURGICO**

ANNO MDCCCLI.



**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

**UNIVERSITATE LITTERARUM CAESAREA  
DORPATENSI**

A D G R A D U M

**DOCTORIS MEDICINAE**

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEPENDET

AUCTOR

*Guilelmus Schmidt.*



DORPATI LIVONORUM,

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.  
MDCCCLVIII.

## PROOEMIUM.

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv., die 27. m. Febr. 1858.

(L. S.)

(Nr. 55.)

*Somson,*

ord. med. h. t. Decanus.

**A** gratioso medicorum ordine quum mihi potestas facta esset dissertationis inauguralis conscribendae, hanc potissimum rem mihi pertractandam sumpsi, tum materiae ea praebitae copia ac varietate tum amore studioque, quo chirurgiam amplexus sum, adductus. Quicumque clinicam relationem conscripsit, quantae hac in re objiciantur difficultates, compertum habet, quae difficultates altera ex parte ex eorum, qui morborum historias exararunt, negligentia, ex altera multis in casibus morborum historia omnino deficiente oriuntur, quo fit, ut relatio de nosocomii chirurgici stationarii rebus perquam manca sit atque imperfecta. Quae difficultas in describendis, quae in nosocomio amb. facta sunt, multo etiam magis augetur, quoniam diurna non ita diligenter habita mihi tam pauca attulerunt, ut, exceptis nonnullis casibus, non possem nisi conspectum statisticum componere. Qua in re minor culpa temporis exiguitati ad magnam aegrotorum ad nosocomium subinde accedentium multitudinem curandam destinati attribuenda est, ita ut ad singulos aegrotos animi attentio parum adverti possit. Major potius culpa illorum hominum ignorationi atque inertiae adscribenda est, qui, in nosocomium nostrum

venientes, multum se praestitisse putant, si semel iterumque adfuerint, nedum quidquam ex anamnesi referre possint. Quae quum ita sint, curatio aegrotorum ambulatorium alicujus momenti non est, nisi ad statuendam diagnosin, dum altera ex parte omnis deest occasio et decursum et eventum curae observandi. Quae est causa, cur in statistica commentationis parte multi afferantur morborum casus, saepe etiam toti morborum ordines, de quibus in altera dissertationis parte uberius disserere non licuerit. Quod morborum major reperitur numerus, quam aegrotantium, ejus rei causa in eo est reposita, quod unus saepe compluribus affectus erat malis.

Dissertationem hanc quum in medium proferam, facere non possum, quin lectorem benevolum, ut in primitiis his dijudicandis debitam tironi indulgentiam impertiat, rogem.

Denique superest, ut praeceptoribus meis, hujus universitatis professoribus, gratias quam maximas persolvam, praesertim prof. Dri. Adelman, viro honoratissimo, qui, uti semper, ita in hac dissertatione quoque conscribenda amicissime mihi adfuit, quam benevolentiam ut in posterum quoque tempus servet, virum doctissimum etiam atque etiam rogo.

## Pars statistica.

**Anno 1851** in nosocomii parte chirurgica, exceptis morbis ophthalmologicis, casus observati sunt **509**, quos hunc in modum dividere licet :

### 1. Morbi generales.

#### 1) Morbi telae cellulosae (179).

##### Inflammatio telae cellulosae (15).

faciei	3
nasi	2
manus	1
digitorum manus	3
regionis inguinalis	1
crurum	3
pedum	2

Phlegmone antibrachii 1

Panaritium 6

##### Abscessus (13).

ossis parietalis	3
maxillae inferioris	1
colli	1
axillae	1
manus	1
pollicis	1
thoracis	1
mammae	1
regionis inguinalis	1
synchondroaeos sacroiliacae	1
dorsi pedis	1

##### Oedema (3).

erysipelatosum traum. cap.	1
venosum cruris	1
inflammatorium pedis	1

Induratio telae cellul. brachii 1

Carbunculus colli 1

##### Furunculus (11).

capitis	2
frontis	1
palpebrae superioris	1
nasi	1
axillae	1
glutaei	1
labii major. pudend. dextr.	1
femoris	3

##### Combustio (19).

faciei	1
palpebrarum	1
colli	2
brachii	2
manuum	4
digitorum manus	1
nuchae	1
thoracis	2
sterni	1
dorsi	3

Combustio.		Vulnera <i>scissa</i> .	
cruris	1	dorsi ped.	2
Congelatio manuum	1	digitorum pedis	1
Ulcus plantae ped. ex congelatione	1	<i>contusa</i> (4).	
Gangraena (2).		frontis	1
extremit. infer. post typhum	1	oris	1
halucis sin. a contusione	1	digitorum manus	1
Ulcera (66).		tibiae	1
<i>simplicia</i> (27).		<i>lacerata</i> (2).	
antibrachii	1	frontis	1
mammarum	1	cruris	1
crurum	23	<i>morsa prope aurem</i>	1
pedum	2	<i>sclopetaria</i> max. infer.	1
<i>atonica</i> (26).		<i>neglecta</i> ped. dextri	1
crurum	23	2) Tumores (29).	
pedum	3	Atheroma (3).	
<i>venosa et varicosa</i> crurum	5	capitis	1
<i>follicularia</i>	1	palpebrae sup. dextrae	1
ex vulneribus neglectis crur.	4	pone aurem	1
<i>orethica</i> cruris dextri	1	Tumor <i>saccatus</i>	1
<i>scrophulosa</i> cruris dextri	1	Lipoma (2).	
<i>herpetica</i> cruris sinistri	1	nuchae	1
Contusiones (16).		abdominis	1
capitis	1	Tumor <i>colloides</i> scapulae	1
palpebrarum	2	Tumor <i>fibrosus</i> ad pectus	1
humeri	3	Polypus (4).	
antibrachii	1	auris dextri	1
manus	1	choanae dextrae	1
dorsi	1	mucosi naris sin.	1
costarum	1	frenuli linguae congen.	1
coxae	2	Fungus (3).	
femoris	1	orbitae	1
dorsi pedis	1	oculi	1
digitorum pedis	2	maxillae inferioris	1
Vulnera (23).		Cancer (14).	
Inflammatio traumat. ped.	1	<i>a</i> ) Epitelioma (10).	
Excoriatio cruris	1	frontis	1
<i>scissa</i> (11).		palpebrae dextr.	1
capitis	1	oculi	1
palpebrae inferioris	1	genae	2
cheiloplastica	1	nasi	1
antibrachii	1	labii infer.	4
regionis sacralis	1	<i>b</i> ) <i>Sirrhus</i> (4).	
genu	1	mammarum dextrae	2
curae	1	testis dextri	2
tendinis Achillis	1		

3) Morbi glandularum (6).		Scrophulosis universalis	6
Inflammatio gland. submax.	1	Mercurialismus	2
Abscessus (2).		Arthritis pedis sinistri	1
glandularum colli	1	Lepra mutilans man. et ped.	1
" submax.	1	Impetigo ulcerosa manuum	1
Bubo (3).		" " digit. ped.	1
traumaticus	1	II. Morbi singulorum organorum.	
rheumaticus	2	Morbi organorum respirationis	
4) Morbi cutis (9).		(4).	
Lupus vorans nasi	5	Catarrhus trachaeae	1
Sycosis labii super.	1	Struma lymphatica	2
Herpes manuum	1	Empyema	1
Ecthyma	1	Morbi organorum nutritionis	
Rhagades	1	(45).	
5) Morbi unguium (3).		Hypertrophia lab. sup. scroph.	1
Onychia (3).		Ankyloglosson	1
halucis dextri	1	Parulis	1
" sinistri	1	Glossitis	2
traumatica	1	Angina (13).	
6) Dyscrasiae (86.)		gingivae catarrhalis	2
Syphilis <i>primaria</i> (25).		palatina	2
ulcerosa genitalium	24	" tonsillaris	7
" oris	1	pharyngea	3
Bubones syphilitici inguinales	1	Abscessus (2).	
Syphilis <i>secundaria</i> (24).		linguae	1
universalis	2	retropharyngeus	1
ulcerosa labii superioris	1	Ulcera (5).	
" oris	1	linguae	1
" palati	2	buccae	1
" pharyngis	5	tonsillae	1
" ozoena	3	palati	2
" inguinis	1	Hernia (17).	
" digit. ped.	1	umbilicaii	6
papulosa capitis	1	inguinalis extern. libera	4
" crurum	2	" " congen.	2
pustulosa cutis	6	" " incarc.	2
<i>condylomatosa</i> (4).		" " interna lib.	3
genitalium	3	Diarrhoea catarrhalis	1
ani	1	Cholera sporadica	1
<i>tertiaria</i>	11	Prolapsus ani	1
<i>Impetiginosa</i> antibrachii	1		



Ex duabus, quas protulimus, tabulis apparet, in univ-  
ersum curatos esse :

Esthonos.		Germanos.		Russos.		Lettos.		Polonos.		Judaeos.		Summa.
V.	F.	V.	F.	V.	F.	V.	F.	V.	F.	V.	F.	
140	113	108	29	44	17	3	4	3	—	1	—	
253		137		61		7		3		1		

Aegrotorum aetas haec fuit :

Anni.	Sexus virilis.	Septem an- nor. periodi sexus virilis.	Sexus mu- liebris.	Septem an- nor. periodi sex. muliebr.	Ambo sexus.	Septem an- nor. periodi utriusque sexus.
1	15		6		21	
2	7		7		14	
3	1		2		3	
4	2	32	1	21	3	53. I.
5	3		2		5	
6	1		2		3	
7	3		1		4	
8	0		2		2	
9	2		1		3	
10	4		2		6	
11	1	15	1	13	2	28. II.
12	1		2		3	
13	3		2		5	
14	4		3		7	
15	8		6		14	
16	3		4		7	
17	10		4		14	
18	6	75	7	38	13	113. III.
19	16		5		21	
20	22		8		30	
21	10		4		14	
22	10		3		13	
23	5		8		23	
24	8		4		12	
25	9	50	4	32	13	82. IV.
26	1		6		7	
27	6		2		8	
28	1		5		6	

Anni.	Sexus virilis.	Septem an- or. periodi sexus virilis.	Sexus mu- liebris.	Septem an- nor. periodi sex. muliebr.	Ambo sexus.	Septem an- nor. periodi utriusque sexus.
29	0		1		1	
30	13		10		23	
31	4		0		4	
32	4	33	1	20	5	53. V.
33	3		2		5	
34	2		0		2	
35	7		6		13	
36	7		1		8	
37	5		1		5	
38	0		1		1	
39	1	23	1	9	2	32. VI.
40	5		2		7	
41	2		2		4	
42	3		1		4	
43	1		0		1	
44	2		0		2	
45	5		1		6	
46	2	17	0	6	2	23. VII.
47	3		0		3	
48	2		4		6	
49	2		1		3	
50	8		6		14	
51	0		0		0	
52	3		0		3	
53	0	17	0	9	0	26. VIII.
54	1		1		2	
55	2		1		3	
56	3		1		4	
57	1		0		1	
58	1		0		1	
59	0		0		0	
60	3	10	11	12	14	22. IX.
61	0		0		0	
62	3		1		4	
63	2		0		2	

Anni.	Sexus virilis.	Sexus muliebris.	Septem annor. periodi sex. mulieb.	Septem annor. periodi sex. virilis.	Ambo sexus.	Septem annor. periodi utriusque sexus.
64	1	1			2	
65	1	0			1	
66	1	1			2	
67	0	5	4		0	9. X.
68	0	0			0	
69	2	0			0	
70	0	2			4	
71	0	0			0	
72	0	0			0	
73	0	0			0	
74	0	1	0		0	1. XI.
75	0	0			0	
76	0	0			0	
77	1	0			1	
78	1	1	0	0	1	1. XII.

Qua aetate essent, afferre nequierunt (13).

Operationes anno 1851 institutae tales fuerunt :

a) Operationes generales (31).	Incisiones (3).
Suturæ nodosæ (3).	frenuli linguae 1
vulneris contusi oris 1	bullar. a combust. man. 1
„ sclop. max. inf. 1	„ a congelat. „ 1
„ scissi surae dextr. 1	Exstirpationes (12).
Punctio probat. reg. glutæi 1	telangiectasiae faciei 1
Oncotomia (12).	atheromatis (3).
ossis parietalis 1	capitis 1
colli 2	palpebrae infr. dextrae 1
digitorum manus 2	pone aurem 1
costarum 1	lipomatis (2).
regionis sacralis 1	nuchae 1
occis coccygis 1	ad abdomen 1
dorsi pedis 2	Colloidis 1
plantæ pedis 1	Canceri epithelialis (5).
digitorum pedis 1	oculi dextri 1
	palpebrae dextrae 1
	labii inferioris 3

b) Operationes speciales (116).

a) ossium (8).

Amputatio (7).

humeri	3
digitorum manus	1
femoris dextri	1
cruris sin.	1
digitorum pedis	1

Extractio phal. necrot. dig. medii man. dextr. 1

β) Articularum (2).

Reductio humeri luxati 1  
Galvanopunctura artic. tibio-tarsalis 1

γ) Unguium (1).

Extractio unguis haluc. dextr. et sinistri 2

δ) Musculorum et tendinum (5).

Tenotomia (4).

tend. flex. carpi ulnaris.	1
palm. longi et flex. carp. rad.	1
tend. Achillis	2
„ flexoris halucis	1

Extirpatio gangl. flex. dig. min. man. dextr. 1

ε) Tractus intestinalis (75).

Evulsio dentium 68  
Oncotomia (2).  
gingivae 1

Oncotomia

linguae 1  
Abscisio polypi fren. linguae 1  
Extractio corporis peregrini e pharynge 1

Operatio herniae inguin. extr. incarc. 1  
Taxis „ „ „ 1

ζ) Organorum respirationis (5).

Extractio polypi nasi 3  
Galvanopunctura strumae lymphaticae 1  
Ligatura subcut. „ „ 1

η) Organorum uropoëticorum et genitalium (13).

a) virilium (11).

Operatio phimoseos (3).  
Ricordii 1  
per scarrificationem subcut. 2  
Operatio paraphimoseos 2  
Ustio urethrae lapidi infernali 1  
Punctio probat. hydroceles 1  
Operatio hydroceles per injectionem 1  
„ hydroceles per excisionem 2

Castratio 1

b) muliebrum (2).

Injectio in uterum 1  
Ustio fistulae vesicovaginalis ferro cand. 1

θ) Operationes plasticae (3).

Cheiloplastice 3

Omnes, quas attulimus, operationes, exceptis operationibus statim memorandis, quae aut medico auxiliario aut studiosis praxin exercentibus commissae sunt, prof. Dr. Adelmann instituit.

**Fecit:**

Dr. de *Bock* exstirpationem colloidis scapulae,  
amputationem I phal. dig. indicis,  
« ossis metacarpi III secundum Zang,  
Cheiloplasticen secundum Jaesche.

Stud. *Dieberg* amputationem humeri secundum Dupuytren.

- « *Ehrich* exstirpationem lipomatis ad abdomen.
- « *Hanke* amputationem cruris secundum Blasium.
- « *Kerbeck* Cheiloplasticen secundum Dieffenbach.
- « *Krause* amputationem femoris secundum Dupuytren.
- « *Tietgens* amputationem phalangis primae halucis.
- « *Uslowsky* exstirpationem palpebrarum et bulbi.
- « *Wiszwiansky* cheiloplasticen secundum Jaesche.

Med. *Schnakenburg* exstirpationem lipomatis nuchae.

Praxin exercuerunt I semestri . . .	40
II senestri . . .	51
toto anno . . .	91

Summa dierum, per quos cunctorum aegrotorum stat. curatio tenuit, fuit 4678; quum autem aegrotorum numerus fuerit 89, numero medio singuli per dies 52, 56 curati sunt.

## Pars descriptiva.

### Caput I.

#### Morbi telae cellulosae.

**T**elae cellulosae inflammationibus 13 aegroti ambulatorii, 2 stationarii laborarunt, quorum 8 viri, 7 feminae fuerunt. Plurimae hujus generis affectiones in menses Sextilem, Septembrem, Octobrem inciderunt, id quod ex tempestate auctumni, qualis est in regionibus septentrionalibus, humida et ad refrigeria contrahenda peropportuna facile explicari potest. Aegrotorum aetas inter annum dimidium annosque 50 variabatur, qua in re homines annos 20 — 30 nati creberrime affecti erant. Pro causa plerisque in casibus terror est allatus, nullo tamen hac in re nexu causali cognito. Cura tantum externa fuit; plerique enim aegrotorum, auctore Loewenhard, ung. hydr. cin. inunctionibus curati sunt. Uno in casu propter telae cellulosae necrosin oncotomia institui necessarium fuit. Curae eventus qualis fuisset, solummodo in casibus 4 innotuit; etenim aegroti 3 sanati, 1 mortuus est.

Ex aegrotis amb. 6 *panaritia* laborantibus, incisione facta, 3 perbreui tempore convaluerunt, reliquis applicata sunt cataplasmata.

*Abscessibus* aegroti amb. 9, stat. 4 laborarunt, ex quibus 7 v., 6 f. fuerunt. Abscessuum certo cuidam anni tempore frequentiam adstrictam esse, cognosci nequii. In casibus 3 oncotomiam institui opus fuit, in reliquis cataplasmata emollientia adhibita. Noti sunt casus 7, in quibus sanatio brevi successit, uno aegroto stationario, qui ipso anni fine receptus fuerat, in sequentem relicto. Ex casibus ceteris in nosocomio stat. tractatis semel abscessus in capite post atheromatum exstirpationem exstitit, semel abscessus symptomaticus regionis sacralis viri ex carie ossis ilei dextri et vertebrae lumbalis V laborantis adfuit, qui duo casus, facta oncotomia atque adhibita munditia, eventum habuere prosperum.

Casus IV in nosocomio stat. tractatus ad feminam lactantem pertinuit, in qua, durante graviditate, nodulus coloris rubri in antibrachio dextro exstiterat, qui, major majorque factus, puerperii tempore in tumorem inflammatorium totius brachii mutatus, abscessum axillae ejusdem, qua caput infantile est, magnitudinis in sequelis habuerat. Brachium durum, rubefactum, tumidum, dolores ciet, manus oedematosa est, articuli fere mobiles. Abscessus pus foetidum sanguine commixtum emittit, quod ne continuo fluxu emanet, coagulatio subinde impedimentum objicit. Vincitura comprimente applicata, sanguinis profluvium sedatum est; attamen cataplasmata postea ad suppurationem adjuvandam in usum vocata id denuo provocant. Quae haemorrhagia ex vasorum minorum telae cellulosa diabrosi originem cepit: nam varicem aut aneurysma, quale ab initio tumor habitus erat, non adesse, et anamnesis et certior exploratio docuit. Diagnosls haec est statuta, ut *lymphangitis puerperalis*,

subsequente *induratione telae cellulosa*e et *abscessus* formatione, adesse crederetur. Aegrotae viribus tum puris secretionem tum sanguinis jactura confectis, remedia roborantia in usum converti necessarium visum est. His remediis atque cataplastatis curata, quum per menses 3 in nosocomio fuisset, aegrotata, hydropis incipientis signa prae se ferens, dimissa est.

*Furunculi* hoc anno 11, iique omnes in aegrotis amb., quorum 7 v., 4 f. fuerunt, curati sunt. Aegrotorum 2 semestri priori, 9 altero, plerique post xxx aetatis annum in nosocomium venere. Inflammatio quum semper furunculorum oncotomia augeatur, aptius visum est, solis cataplastatis curam institui.

Ex *combustione* laborantes 19, aegroti amb. fuerunt 16, stat. 5, virorum numero majore. Plerisque in casibus aqua bulliens vel ignis vel spiritus vini lucernis adhibitus combustionis ansam praebuerat. Pleraque combustiones gradu I et II, 3 gradu III fuerunt, secundum usitatam hic Dorpati divisionem in formationem erythematis, vesicularum, ulcerumque et destructionem totalem. Plerumque optimo cum successu vincitura simplex e xylino facta. rarissimis in casibus linimenta ex oleo et aqua calcariae parata, aut, prout res poposcerat, unguenta vel irritantia vel mitigantia in usum vocata. Ulcera granulosa saepissime linteis oleo imbutis vinciri solebant. Sequelae periculum minantes, uti organorum interiorum majoris momenti inflammationes, non acciderunt.

Ex diversis curandarum combustionum methodis in nosocomio nostro tempore recentissimo vincitura e xylino optimum eventum praebuit, cujus quidem vinciturae commoda

sane plurima sunt. Omnium primum simplicitate pretioque parvo nec non eo excellit, quod materia ad eam necessaria tam facile comparatur, quae res praecipue in praxi privata gravissimi est momenti. Quod attinet ad ejus effectum in sanatione ipsa, conditionibus ad hanc efficiendam necessariis omnino satisfieri videmus. Qua in re gravissimum hoc est, ut aëris aditus a loco affecto arceatur, quo quidem respectu xylinum omnibus ceteris praefendum est remediis.

Etenim vi sua capillari secretum superficiei vulnerariae celeriter imbibit, quare, dum partes fluidae evaporantur, particulae solidiores relictæ cum xyliño crustam, qua organum affectum tegatur, conformant. Quem finem licet aliis quoque remediis assequi possimus, tamen unguenta, dum decomponuntur, irritant, linimenta tum lintea inquinant tum odorem perquam injucundum diffundunt, saepiusque sunt renovanda, remedia autem illa, quae, in superficiem vulnerariam imposita, albumine coagulato, tegumentum permanens efficere volumus, magnos aegrotis dolores commovent, quae incommoda vincturae ex gossypio factae vitio dari non possunt. Summa cum facilitate strata vincturae suprema novis compensari queunt, qua in re strata superficiei vulnerariae adjacentia, quamquam firmiter adhaerent, tamen non opus est tam crebro renovari. Observationes nostrae illis congruunt, quas Pitha <sup>1)</sup> in medium protulit, qua de re huc pertinentia cognosci possunt ex: Adelman's Beiträge zur medicinischen und chirurgischen Heilkunde, 1852, Vol. 3, p. 22.

In aegroto quodam stat. manuum *congelatio*, primo ut vesiculae exortae inciderentur, deinde, ut digiti ind. phal. I, digitique min. phal. II exarticularentur, postulavit.

1) Vierteljahresschrift für praktische Heilkunde, Vol. 23, 1849.

*Gangraena* duo laborarunt aegroti, in quorum priore malum ex halli sinistri contusione ortum fuerat.

Alter duarum extremitatum inferiorum gangraena correptus erat. Pes dexter jam detrusus, tibiae fibulaeque malleoli massa carnea informi circumdati. In crure sinistro fere duo tibiae fibulaeque trientes partibus mollibus nudati erant, dum triens supremus ad partem internam posticamque et anteriorem magis, quam ad externam, musculis est obtectus. Utraque in extremitate linea limitationis gangraenae formata est, cicatricatione incipiente. Qui status typhum secutus erat, quo aegrotus ante menses 3 laboraverat. Ut partes gangraenosae amoverentur truncique osium bene tegerentur, parte sinistra amputatio secundum incisionis obliquae a Blasius commendatae modificationem, dextra resectio secundum methodum Symianam modificatam institutae sunt. Operationum eventus exoptatissimus fuit, vulnerisque cura, excepta sanguinis profusione exigua, nullo incommodo turbata.

Nonnullos hujus generis casus, quos in regionum nostrarum rusticis observandi non ita raro occasio praebetur, Deppisch <sup>1)</sup> collegit, uberiusque descripsit, inter quos invenitur etiam casus modo memoratus. Praeterea de hoc malo commentatio a Dr. Roebbelen <sup>2)</sup> scripta reperitur.

*Ulceræ* indolis diversissimae, quae inter frequentissimos rusticorum nostrorum morbos chirurgicos referenda sunt, 66 curata, et quidem 40 in v., 26 in f., qui omnes,

1) Alexander Deppisch: Dissertatio inauguralis de gangraena typhum subsequente. Dorp. Liv. 1852. Pag. 19.

2) Deutsche Klinik: Amputatio spontanea von Dr. Roebbelen. 1857. Nr. 23, pag. 221.

paucis exceptis, aegroti fuerunt ambulatorii. Aegrotantium aetas inter annos 15 et 77 variatur, casibus plerisque ad aetatem mediam pertinentibus. Ulcerum frequentia inde repetenda est, quod Esthonus in ejus generis casibus deum, postquam ulcus diversissimis remediis a pharmacopolis circumforaneis sibi datis summaque immunditia vexavit, atque se ipsum malo succurrere non posse sibi persuasit, artis auxilium implorare solet. Unde fit, ut ulcera pro rata parte plurima inveterata sint, *atonica*, quae complures per annos jam durarint. Quo accedit, quod rustici, qua utuntur vivendi ratione, raro quiete necessaria frui possunt, qua tamen imprimis ulceribus in extremitatibus inferioribus creberrime obviis tantopere opus est. Harum affectionum causam plerisque in casibus localis glandularum cutis inflammatio, neglectae omnium generum affectiones cutis, laesiones traumaticae inquinatae maleque tractatae, saepe etiam dyscrasia praesente, attulerant. Cura, praeterquam iis in casibus, in quibus dyscrasiae adfuerunt, semper non erat nisi externa, qua in re trium maxime momentorum ratio est habita, nimirum quietis membri affecti, munditiae necessariae, situs horizontalis in extremitatum affectionibus. In cura instituenda fere semper emplastri adhaesivi taeniolae secundum methodum Bayntonianam adhibitae sunt, ac, si quando status ulcerum is erat, qui illarum usum non indicaret, opera data est, ut ulcera ad eas applicandas praepararentur. Ex omnibus casibus tantum quater, sanationem secutam esse, comperimus. Quod ad emplastri adhaesivi taeniolas secundum methodum Bayntonianam utendas spectat, aegrotis primum ad nosocomium accedentibus, quoniam tunc ulcera in cruditatis stadio esse solent, eas in usum

convertere nobis non licet. Ulcerum margines plerisque in casibus torosi, partes vicinae massis lardosis infiltratae, fundusque tela cellulosa mortificata obiectus apparet, unde sanies tenuis atque discolor secernitur, fere nunquam ullo granulationis vestigio conspicuo. Quae incommoda ut tollantur, ulceri cataplasmata apponuntur, quo fit, ut et fundus purificetur et secretum puri simile oriatur. Exsudatum in partibus circumjectis depositum resorbetur, margines callosi, quibus ulcus velut circumvallatur, evanescent, atque reproductionis processus initium capit, quem incipere, granulationes pullalantes argumento sunt certissimo. Quum satis constet, ulcera, praesertim atonica, irritatione aequabiliter exhibita simulque compressione adjuncta, optime consanescere, emplastri adhaesivi taeniolae, praesertim si compressionem fascia conglomerata adjuveris, his conditionibus omnino satisfaciunt. Compressioni duplex propositus est finis, ut videlicet et sanguinis circulationem regulet, et, ne granulationes luxurientur, impediat. Qua agendi ratione inita, etsi tardius, attamen certe finem assequaris, idque modo contradici possit, ob pretium emplastri pro rata parte magnum in nosocomiis majoribus copiam ejus necessariam comparatu esse difficilem. Verumtamen hoc in casu emplastri adhaesivi taeniolae linteis gummi elastico oblitis aptissime compensari possunt, quae lintea quum ablui queant, si inquinata sunt, ter quaterve in usum vocari possunt. Quo adde, quod haec lintea, praesertim in ulceribus erethicis, eo praestant, quod irritationem minorem exhibent.

*Contusiones 13* ad diversissimas corporis partes pertinentes in aegrotis amb. curatae sunt, quarum pleraeque, tantum superficiales, apta cura antiphlogistica instituta, nullas habuere sequelas graviores.

Ex vulneribus 23 in aegrotis amb. 17, in stat. 6 curata sunt, quorum aegrotorum 17 v., 6 f. fuerunt, quam rem certum est tantummodo ex diversis utriusque sexus negotiis esse repetendam. Omnes fere aegroti in nosocomium tunc venerunt, quum jam nulla spes erat, vulnus per primam intentionem sanatum iri. Vulnera, jam ante complures dies illata, late hiabant, impura atque diversissimis pharmacopolarum circumforaneorum medicamentis, vel haemorrhagiae sistendae causa vel mali sanandi gratia adhibitibus, vexata erant. Suppurabant, telam cellulosa mortificatam continebant, quo factum est, ut ex omnibus laesionibus in nosocomio amb. tractatis, quae numero 17 fuerunt, una tantum ope suturae nodosae concludi posset, ceteris aegrotis consilio dato, ut vulnera, cataplasmatibus appositis, pura servarent, neve remediis inutilibus irritarent. Quae praescripta quatenus observata sint, quoque successu fuerint, excepto aegroti uno, qui brevi tempore convaluit, quum aegroti postea in nosocomium non redierint, nihil certi commemorari potest. Felicius res in curandis aegrotis stat. evenit, quorum, 5 sanatis, 1, statu in melius mutato, dimissus est. Inter quos casus 4 vulnera scissa fuerunt, quae per primam intentionem sanatum iri, quum multo post laesionem illatam artis auxilium imploraretur, sperari non potuit. Itaque hi quoque aegroti, uti amb., ut quam primum granulationes provocarentur, vulneraque a tela cellulosa mortificata liberarentur, cataplasmatibus sunt curati, simplici inde victura applicata. Uno in casu sutura nodosa, nullo successu, est applicata, in tribus aegroti sanati, in uno statu in melius converso aeger dimissus est. Qui casus dum neque laesionis genere aut extensione, neque ejus loco memoratu

digni sunt, casus VI ad vulnus *sclopetarium* pertinens haud indignus videtur, quem copiosius describamus:

Alexander Dextling, annos 25 natus, anno 1851 die m. Sept. 2. in nosocomium est adscitus. Aegrotantis facies, dimidio inferiore tumefacto, deformata erat vulnere profundo, quod inde ab inferiore labii margine rubro ad partem inferiorem, pauloque magis dextrorsum infra mentum usque pertinebat. In inferiore maxillae margine exiguus adfuit defectus, nec non infra mentum dextrorsum versus dislocatum foramen rotundum cernebatur, circiter  $\frac{1}{2}$ " —  $\frac{3}{4}$ " hians. Dentes incisivi maxillae inferioris oblique ad exteriora paululum ultra labium prominebant. Exploratione accuratior instituta, in profundioribus vulneris partibus ossis assulae inventae sunt, neque non mandibula hoc loco abnormem in modum mobilis fuit. Quae phaenomena suspicionem moverunt de fractura mandibulae, quam directione obliqua a I dente incisivo sinistro deorsum usque ad I dentem incisivum lateris dextri fractam esse, postea apparuit. Praeterea etiam marginis alveolaris pars, cui dentes incisivi insidebant, directione horizontali dirempta, solo gingivae lobo continebatur. Vulnus ipsum odorem putridum spargens speciem praebuit admodum discolorum. Oris secreta ex rotundo infra mentum foramine proveniebant. In manducando multum movebatur doloris ac loquela etiam perquam impedita erat, oris membrana mucosa non ita magnopere inflammata. Reliqua capitis pars totumque corpus reliquum, exceptis nonnullis excoriationibus ad anteriorem ossis ilei spinam et anteriorem tibiae cristam obviis, integra apparuerunt. Contra ea brachium sinistrum ad humerum usque valde tumefactum admodum rubebat, atque hic illic lividum et sanguineum cernebatur, calore adaucto. Porro in antibrachii parte anteriore et interna supra condylum internum vesiculae, atque in parte postica vulnera ex contusione adfuerunt, ita ut multis in locis cutis detrusa esset. Ad. m. delt. insertionem digito contrectanti sensus massae mollis movebatur, quo ipso loco membrum paululum ad exteriora versus declinaverat et abnormem in modum mobile erat. Brachio certius pervestigato,

crepitatio percepta est. Aegrotus acerrimos brachii capitisque dolores conqueritur, pulsus centies bis in sexag. micante.

Ex anamnesi cognitum est, menti laesionem scelopetariam esse, brachii lapsu inter rotas molares, quo aegrotus desperatione actus se coniecerat, effectam fuisse.

Ex iis, quae diximus, luculenter apparet, fract. comminutivam combinatam mandibulae, nec non fracturam ossis humeri adfuisse, quarum fracturarum posterior qua forma esset, certius dignosci non potuit, tum tumore tum magnis doloribus impredientibus.

Aegrotus quum validus robustusque esset, neque ulla, quae periculum minarentur, cerebri affectionis signa apparerent, primo quidem vitae discrimen non imminere videbatur. Attamen, num mandibulae sanatio sine deviatione contingere posset, dubium fuit. Quod incommodum in mandendo tantum impedimenti offerens non minus, quam pseudarthroseos ortus, metuendum erat. Praeterea brachii status timorem injicere poterat, quoniam, ne ossa coaptarentur, et vulnera et tumor impedimento erant, quae quidem, vincitura continente applicata, facile in gangraenam abire poterant. Denique suppuratio, quam orituram esse exspectari poterat, vitae aegrotantis, pure descendente, finem imponere potuit.

In instituenda cura ante omnia id agendum erat, ut menti vulnus, postquam rite purificatum ossisque assulis liberatum foret, ope sut. nod. occluderetur, ut videlicet prima reunio et cicatrix, quantum fieri posset, linearis efficeretur. Ex omnibus apparatus partim simplicioribus partim complicitis, qui a diversis auctoribus in mandibulae fracturis ad os reponendum situque normali retinendum, commendantur, nullus delectus est, sed postulatis illis, capistro duplici applicato, satisfactum, qua in re aegroto cibi tantum liquidi per infundibulum sunt immissi.

Pleraque vinciturae complicitae, hucusque ad mandibulae fracturas inventae, non modo summam chirurgi in apponendo diligentiam, sed etiam tam sedulam cautionem aegroti postulant, ut magis respectu theoretico recte excogitatae, quam in usu practico utiles videantur.

Quod spectat ad fracturae humeri curam, quaeritur, utrum amputatio extemplo facta apta fuerit futura, necne? Regula in amputationibus rata, ut ea membra malo locali affecta amoveantur, quae sanatum iri, ob aegroti statum internum externumque sperari nequeat, quaeque aegrotantis vitam in periculum vocent, observari hoc in casu non potuit, quoniam, quinam fracturae status esset, certo cognoscere non licuit propter magnum tumorem, qui nobis aditum ad vulneris partes profundiores praecludebat, ac quoniam partium conquassatio non tanta extensione facta erat, ut illa agendi ratio necessaria videretur. Quarta amputationis omittendae causa in eo posita erat, quod fractura non recens, sed ante triduum facta erat, quum, uti chirurgorum clarissimorum experientia docuit, amputatio tantummodo aut primis post laesionem horis 24, priusquam laesio localis, functionibus systematum nervorum vasorumque turbatis interruptisque vel mutatis, reflexu ad totum organismum vim exhibere possit, aut, inflammationis decursu omnino finito, prosperos eventus praebeat. Nostro in casu autem, quum tempus aptum jam transactum febrisque ex vulnere exorta esset, ac membrum affectum valde inflammatum tumidumque multum doloris ciceret, tam violentus insultus operationis symptomata periculum minitantia ad altius fastigium modo adducere potuit.

Contra hanc sententiam quidem tempore recentiore academiae Parisinae medici coorti sunt, qui amputationem primis 24 post laesionem horis susceptam semper periculosissimam esse contendunt, quod magna contusione nervorum periphericorum paralysis exstiterit eoque aeque facile gangraena ingruere possit. Itaque illi quidem operationem eo usque differendam esse judicarunt, quoad nervorum cutaneorum functiones restituae fuerint. Haec sententia tota in Chersoneso Thracica expeditione apud omnes, quae in ea partem habuerunt, gentes omnino est comprobata.

Ergo cura nostro in casu ab initio nihil aliud spectare debuit, nisi ut affectus tum universales tum locales tollerentur, quo totus

organismus ad operationem postea suscipiendam, si quidem opus foret, corroboraretur atque praepararetur.

Quem in finem omnium primum, membrum affectum in aptam positionem redigi necessarium fuit. Quod ut contingat, a diversis medicis diversi suasi sunt apparatus, quibus omnibus, ut per se intelligitur, is propositus est finis, ut membro quies quam maxima praebatur. Quorum tamen plerique, quum fracturae fines reponi postulent, atque modo eorum retentionem spectent, nostro casui adhiberi nequierent. Sic, ut exemplo utar, vincturae ope ferularum, prae ceteris memorabiles, diversaeque earum mutationes primum ob causam jam allatam, deinde propterea quod ex magna inflammatione suppurationem profusam, fortasse etiam gangraenam exorturam esse conjicere licebat, denique quod vulnura externa, ne destructionis gangraenosae periculum adducatur, compressioni tam permanenti submittenda non sunt, nostro in casu in usum vocari non potuerunt. Nonnulli chirurgi quidem, vinctura ope ferularum apposita, vulnera inoperta relinquunt; attamen ob duas causas primum memoratas haec quoque methodus apta non fuit. Nos tantum eam inire potuimus rationem, ut totum membrum liberum maneret, quoniam sic tantum praecavere licebat, ne quid attentionem nostram praeteriret. Cui fini satisfacere possumus vel membro in apparatu suspendendo, quod tamen, pressu ad thoracem exhibitio, aegrotanti molestum est, vel partem affectam *pulvino arenis impleto* imponendo, qua in re, arenis humectatis, membrum suo ipsius pondere sulcum imprimit, atque, sacco frigido, aliqua antiphlogosis exhibetur. Porro extremitatis mobilitas haud parum deminuitur, quoniam aegrotus, doloribus ex quavis corporis motione orientibus, sponte, ut situm corporis quietissimum servet, cogitur. Usu externo fomenta frigida vel ex spiritu vini et aqua vel aqua plumbica parata adhibentur, interne, ut puris resorptioni occurratur, acida vegetabilia et mineralia, quibus tumor eo celerius deminuat, in usum vocantur, atque, ut certioris fracturae diagnoseos potestas fiat, locus fractus taeniolis linteis a Scultetten commendatis involvitur.

Quo facilius omnia uno conspectu perlustrari liceat, morbi

decursum in partes 3 dividere possumus. Quarum prima praecipue indole erat inflammatoria, id quod in laesionibus tam profundis omnino exspectandum fuit. — Symptomata cardinalia quattuor, nempe rubor, tumor, calor, dolor, utroque in vulnere reperiuntur, qua in re universa aegroti valetudo febris, quamquam non ita vehementi, turbata est, pulsus ictibus 84 — 104 in sexag. numeratis. Somnus inquietus est, deliriis mussitantibus somniisque interruptus; adsunt et capitis et regionis sacralis dolores ac sitis acerrima. In cura id maxime spectandum erat, ut hic status universalis erethicus impugnaretur, atque, quum certum esset, inflammationem in suppurationem exituram esse, puris resorptioni occurreretur. Quam ob causam primum porrectum est nitrum, alvi que obstructio clysmate ex aceto saponeque parato sublata, atque acid. phosph. dil. ʒ ij in decocti rad. alth. ʒ vi, altera quaque hora cochlear majus, datae; pro potu refrigerante succus oxycocci praescriptus. Cura localis fracturae mandibulae vulnerisque menti purificatione vulneris, assularum ossis et abrupti marginis alveolaris extractione, marginumque vulneris ope suturae nodosae conjunctione constitit, quo factum est, ut vulnus ex parte jam die V per primam intentionem consanesceret. Maxilla fracta capistro duplici fixa est. Partium conquassatarum brachii permagna fuit intumescencia; non permagnae puris sanguine intermixtae copiae profluxerunt, quin etiam pars epidermidis magnitudinem volae manus adaequans gangraenosa existit, quae gangraena tamen non nisi superficialis fuit brevique tempore limite est terminata. Deinde in profundo circa musculi deltoidei insertionem pus accumulatum est, et per ductum fistularem majorem 1" supra condylum internum positum pluresque minores, qui omnes in locum conquassatione denudatum exhibant, pus, cujus magna effusa est copia, sibi viam foras patefecit, ita ut puris receptaculum ad axillam usque persequi liceret. Apertura triangularis infra mentum, qua glans intraverat, patebat, ex eaque oris secreta perexigua puris quantitate commixta effluebant. Quae diximus, ea omnia ad primos 9 curationis dies pertinent. Altera curae periodo affectionis indolem erethicam paulatim deminui atque in-

flammationem inferiore gradu subsistere vidimus. Universa aegroti valetudo commoda est, febris omnino cessavit, somnus quietus est, sitis desivit, ciborum appetentia rediit, dolores loco fracto percepti perexigui sunt. Phaenomenis, quae puris resorptionem indicant, omnino deficientibus, acidi phosph. omitti potuit usus. Brachii fracti intumescencia valde deminuta, fracturae fines plane persentire licuit. Internarum brachii telarum dissolutio etiamtum perduravit, purisque ex fistularum aperturis profluvium denique post 14 fere dies, attamen in tempus, cessavit. In condylo externo novus exortus est abscessus, quem aperiri et cataplasmatibus tractari opus fuit. Propter profusam ex interioribus brachii partibus suppurationem magnumque cutis vulnus, quod, cute gangraena affecta, e parvo ex contusione vulnere ortum erat, tum quoque vincturae ope ferularum applicatio non indicata fuit.

Superficies vulneraria granulationibus oblecta erat, quae laetissime pullulabant, ac denique externo argenti nitr. usu, ne fungosae existerent, id quod haemorrhagiae minores saepius sponte ingruentes indicabant, prohibendum erat. Postquam aegrotus per hebdomades 3 in nosocomio fuit, brachio prius in taeniolas Scultettenianas involuto, ita ut cutis vulnus inopertum maneret, prima ope ferularum vinctura est applicata. Brevi in hujus vincturae locum ferulae lignae a Laurer commendatae substitutae sunt, quae, postquam brachium in positionem inter pronationem et supinationem intermediam reductum inde a manu involutum est, per hebdomades 4 adhibentur. Brachium sic vinctum in mitella triangulari est suspensum. Cutis vulnus, excepto pollice quadrato, oclusum erat, vulnus menti consanuit, ac foramen triangulare infra positum, quod tum quoque emittendis oris secretis inserviebat, tamen et ipsum minus evaserat. Mandibula etiamtum capistro tenebatur. Quae curae periodus quum hebdomades 4 durasset, secuta est periodus III. duorum mensium spatium complectens. Quae periodus jam diu exoptatam fracturae mandibulae consolidationem adduxit. Aegroti viribus minime confectis, secretiones normales, ciborum appetitus commodus fuerunt. Maxilla inferior dextrorsum mota

erat, ita ut, quum dentium coronae inter se adaptatae non essent, manducatio aegroti multum difficultatis efficeret. Maxillae defectus telis cicatricosis expletur, labiumque inferius cicatricis contractione brevius factum. Locus, quo glans intraverat, cicatrice obductus in medio ductus fistularis ostium continebat, unde parva puris laudabilis quantitas profuebat. Humeri intumescencia ex toto cessaverat, fracturae fines mobiles per cutem plane persentiri poterant. Brachii vulnera, exceptis duobus locis parvulis, sanata fuerunt, suppuratione non ita copiosa perdurante. Et brachii et mandibulae cura, quoad os consolidatum esset, eadem mansit. Tribus, antequam aegrotus e nosocomio dimitteretur, hebdomadibus fractura altera in inferiore brachii ejusdem parte inventa simulque cum priore vincta est. Sensim articulationis cubiti ankylosis orta erat, qua affectus aeger, mensibus 4 elapsis, denique nosocomio excessit. Quod fractura inferior tam sero reperta est, mirationem vix moveat, si reputaveris, quanta fuerit intumescencia, quantos dolores aegrotus, membro diligentius pervestigato, perceperit. Denique, quod ankyloseos ortum attinet, fractura in inferiore ossis humeri triente obvia ejus ansam praebuerat, quoniam in quavis prope articulationis fractura vaginae musculorum, ligamenta articulorum membranaeque synoviales inflammationis atque exsudationis plasticae participes sunt. Quae exsudata si consolidantur, etiam in articulationum ligamentis et musculorum vaginis deponuntur, quae quum ita incrassentur, mobilitate eorum impedita, articulatio rigida existit, quae ankylosis tamen, quum non ossea esset, sed fibrosa, sperari poterat fore, ut exercitationibus via et ratione institutis tolleretur.

## Caput II.

### T u m o r e s.

*Atheromata* 3, quorum 1 in nosocomio stat., 2 in amb. curata sunt, ut operatio institueretur, poposcerunt. In uno horum casuum atheromata, per caput dispersa, in facie, in

sutura sagittali et juxta eam, in loco, quo sutura modo dicta cum lambdoidea jungitur, situm habuere. Operatio haec est instituta, ut, folliculis simpliciter exfoliatis, vinctura e linteis carptis parata et capistrum parvum apponerentur. Sanatione brevi secuta, aegrotus jam, diebus 6 elapsis, dimitti potuit. In atheromate palpebrae superioris dextrae abscissio partialis, in altero pone aurem sito extirpatio cum successu est facta. Ung. kalii jod. inunctiones nostro in nosocomio semper parum efficaces se exhibuerunt, qua causa ductis, hoc in casu cultro utendum esse videbatur.

Uno in casu, quo tumor lipoma esse putabatur, vesicam suillam impletam magnitudine adaequans, in scapula sinistra situs, ejus extirpatio est instituta duabus antea incisionibus ellipticis circa basin factis. Suturis nodosis 7 et mitella quadrangulari appositis, conclusum est vulnus, quod, parva parte excepta, quum per primam intentionem sanatum esset, aegroto brevi licuit nosocomio excedere. Tumor quum post extirpationem disquisitus esset, non lipoma, sed *colloides* esse est cognitus, qui diagnoseos error sane excusari potest, quoniam externa tumoris species, tum visu tum tactu rite pervestigata, lipomatis imaginem obtulit. Atque, etiamsi prius tumorem colloidem adesse apparuisset, haud dubitatum foret, quin esset extirpandus, quia opinio istorum haud dubie pro falsa videtur habenda esse, qui, tumores colloides naturae malignae esse rati, ne recidant, metuentes, operatione abstinere. Nostra quantum fert opinio, horum tumorum natura prorsus est benigna, neque unquam, si re vera tumor totus sublatus est, ne recidat, periculum imminet, quam ob causam, num morbus recidivus existat necne, ex chirurgi sollertia in exsequenda operatione pen-

dere videtur. De casu quodam, quo tumor colloides scapulae septies reciderit, a Textor in archivo Virchowiano<sup>1)</sup> refertur, unde, me iudice, tantum concludi potest, non licuisse totum tumorem auferre.

*Lipomata* 2 in aegrotis stat. tractata, quorum unum in nucha obvium, ex annorum 15 spatio jam exstans, ad ovi gallinaei magnitudinem accreverat. Incisionibus 1 formam referentibus in tumorem factis, loboque sejuncto, lipoma extirpatum vulnusque suturis nod. oclusum. Duobus post operationem diebus transactis, erysipelas ambulans ingruit, quod sinistrum colli latus, totumque faciei dimidium sinistrum obtinebat, deorsum usque ad vertebrae cervicalem VII porrectum. Complures per dies quum durasset, erysipelas spiritu camphorae internoque remediorum laxantium usu curatum evanuit. Inde in collo oculoque sinistro atque od os occipitis abscessus orti sunt, quibus apertis, cataplasmata sunt apposita. Vulnus operatione illatum ob erysipelas non per primam, sed per secundam intentionem est sanatum.

*Erysipelas ambulans* in nosocomio nostro quotannis epidemice grassatur, quo fit, ut operationes saepe exitum infaustum habeant. Ceterum operationum eventus adversi in universum satis rari sunt; namque, simulatque animadvertimus, erysipelas ambulans plures invadere aegrotos, aut non recipimus in nosocomium, in quibus suscipienda sit operatio, aut in aegris jam receptis, donec epidemia desierit, operationes differimus. Interim contagium destruere conamur, cubicula ventilando abluendoque, aliasque, quibus expellatur, rationes ineundo.

1) Virchow: Archiv für pathologische Anatomie und Physiologie und für klinische Medicin. Volum. 5, pag. 216.

In casu altero, quo lipoma in abdominis integumentis situm habebat, postquam exstirpatio facta est, tetano accidente, exitus funestus fuit. Cadaveris sectio nervum intercostalem quintum et emollitum et tumefactum ostendit, quae malacia eam quoque medullae spinalis partem corripuerat, unde nervus iste originem capit.

*Polyporum* 4 unus in meatu auditorio externo lateris dextri, alter in sinistro cavo nasali, unde extractus est, tertius ad frenulum linguae situs erat, quem abscidimus. Aegrotus IV polypo ad choanam dextram posito laboravit. Qui polypus inde a naso ope forcipis prehensus motibus rotantibus avulsus est, id quod, quum in periculo priore ex parte successisset, aliquot diebus circumactis, periculo iterato, optimum habuit eventum. Sanguinis profluvium non erat nisi exiguum, brevique aegrotus, valetudine restituta, dimissus est.

*Carcinoma medullare* ad infantis annum nati oculum in observationem venit, qui infans tamen partim ob infaustam exstirpationis tumorum hujus generis prognosin, partim propterea, quod organo, in quo operatio facienda erat, tam tenera aetate parcendum est, non sanatus dimissus fuit.

Uno in casu, quo *fungus* orbitae cum exophthalmo inde exorto aderat, et bulbus et tumor sunt exstirpati. Orbita linteis carptis impleta, sanguinis profusio sedata est, curaque secundaria rite instituta, nulla exstiterunt symptomata periculum minantia, ita ut aegrotus, hebdomadibus 5 elapsis, sanatus dimitti posset. Aegrotus alter isque amb., fungo maxillae inferioris laborans, ut qui non videretur sanari posse, abire jussus est.

*Carcinomata* diversi generis, 14 numero, hoc anno in

nosocomio curata sunt, 6 in aegrotis amb., 8 in stat., v. 10, f. 4 affectis. Qui omnes, uno excepto, quinquagesimum aetatis annum aut assecuti erant aut jam excesserant. Feminae 2, *scirrho* mammae affectae, quippe quae insanabiles putarentur, nosocomio amb. jussae sunt decedere, quoniam experientia (Leroy d'Etiolles) satis docuit, hanc tumorum speciem, sive cultro sive remediis causticis remotam, semper proclivem esse, quae recidat, casusque, in quibus operatio sit facta, multo celerius finem capere letalem, quam eos, in quibus omnis ejusmodi insultus operativus omissus sit. Vir *cancro epitheliali* labii inferioris tam late extenso affectus, ut labium excidendum non satis reparari posset, quum curae radicalis prognosin, colli glandulis in mali societatem vocatis, statui non posset nisi pessima, et ipse jussus est abire. Ultimus casus denique ad feminam pertinuit cancro epitheliali genae laborantem, qui, quum non nimio esset ambitu, pulvere cosmico est cauterizatus. Quae cura quo fuerit successu, quum aegrotata postea in nosocomium non redierit, id quod dolendum est, nihil afferri potest certius.

Aetate recentiore compertum est, carcinomatum cauterizationem eorum ope cultri remotioni esse praefendam, id quod his rationibus comprobatur. Canceri tela minus, quam telae integrae, resistere posse dicitur, qua de causa caustico multo citius contingat telam mollem, destructu facilem, in gangraenam transmutare, quam telam normalem solidam. Quae quum ita sint, remedio caustico acrior, ut ita dicam, tactus diagnosticus attribuendus sit, quam chirurgo oculo digitoque exploranti, qui facile aliquid morbidi non animadvertere atque relinquere possit, unde novae telae pathologicae prorescant.

Ex aegrotis stat. 3 cancro epitheliali labii inferioris laborarunt. In quibus exstirpatio, quae, si de tumoribus in labio agitur pulverum causticorum et pastarum usui propterea, quod in hoc periculum instat, ne, fluidis quiae ita gignuntur, deglutitis, intoxicatio ingruat, haud dubie praeferenda est, in omnibus his casibus cheiloplastice postea subjuncta, in usum vocata est. In aegrotis 2, tumoris ambitu non ita, magno, methodus a Jaesche commendata jam suffecit, in tertio ratio a Dieffenbach suasa adhibita est, in IV, cancro ad oculi dextri palpebram superiorem inferioremque atque ad orbitam sito, bis priori tempore<sup>3</sup> in nosocomio nostro carcinomatis excisione praegressa, blepharoplastice instituta fuerat. Jam, tertium malo eodem correptus, aegrotus artis auxilium imploravit. Palpebris bulboque ope cultri amotis, os ferro candenti est tractatum. Graviora affectionis cerebri symptomata non apparuere, atque, quum aegrotus in annum sequentem in nosocomio mansit, orbita paulatim granulationibus impleta erat. In casu V aeger cancro epitheliali oculi sin. laborabat, quo non modo bulbus ex toto deformatus erat, verum etiam utraque palpebra genaeque pars et organa lacrimalia in destructionis societatem adducta fuerant. Ut in casu priore, ita in hoc quoque et palpebrae et bulbus, aegroti ope chloroformyli consopito, excisa sunt, nullis majoris periculi symptomatis subsequentibus. Orbitae granulationes ad aspectum praebuere pulcherrimum, orbita sensim et paulatim iis impleta est. Cicatricis formatio inde a marginibus initium cepit, quum aegrotus, quia hic processus intra hebdomadem finitum iri videbatur, blepharoplastice non facta, dimissus est. In gena quoque proxime infra os zygomaticum cancer epith. apertus observatus est, qui, ter pul-

vere cosmico adhibito, limite est terminatus, atque, hebdomadibus 2 circumactis, ung. Hellmundi saepius applicato, totus detrusus fuit. Exstirpatio ope cultri suscepta non est, utpote quae, quum in tela integra operatio facienda sit, in universum majorem efficiat defectum, qui inde difficulter resarciri possit. Verumtamen hoc quoque in casu vehemens cicatricis contractio cum palpebrae inferioris ectropio consecutivo metuenda fuit, quam ob rem anni proximi initio cicatricem excidi, defectumque lobi cutanei transplantatione reparari placuit. Pulveris cosmici usus parem in casu altero successum habuit, in quo cancer apertus exulceratus, fronti insidens, detrusus est vulnusque bene in cicatricem abiit.

Denique casum ultimum, in quo *scirrhus testis* aderat atque castratio instituta est, morbi historia non scripta, vehementer doleo, me certius describere non posse.

### Caput III.

#### Telae corneae morbi.

Lupus, qui morbus inter regionum nostrarum rusticos non ita raro occurrit, praecipue mulieres afficit, sicuti et hoc anno f. 5 hoc malo laborantes in nosocomio curatae sunt. Una, lupo voranti nasi affecta, ex anni superioris aegrotis in nosocomio relicta, priori semestri ineunte, sanitate non restituta, inde dimissa est. In casu altero ejusdem generis, in quo nasi apex jam destructus erat, ac degenerationes luposae in gena apparebant, usu interno ferrum jodatum, externo medicamen idem unguenti forma est adhibitum. Ulcera jam a peripheria partem mediam versus cica-

tricibus obduci coeperunt, quum aegrotā, feriis incipientibus, remediū ad hoc tempus adhibiti copia accepta, statu in melius mutato dimissa est. In casu III lupus nasum affecerat, cujus parte maxima jam destructa, apex ad ossa nasalia usque, alae nasales et cartilago, quae pro septo est, tota degenerata, et conchae jam correptae erant. Partes affectis vicinae infiltratae duraeque, ulcus ipsum crusta obtectum est, quae, cataplasmatibus in usum vocatis, brevi tempore est detrusa. Infiltrationes fomentis ex aqua plumbica paratis impugnatae sunt, usuque interno praeter diaetam nutrientem decoctum Pollini est datum. Cura per hebdomades 2 continuata, infiltratio jam evanuerat, ulcerisque fundo jam puro, granulationes pullulare coeperunt, quae ne nimis luxuriarentur, nitrate argenti est impeditum. Ulceribus paulatim in cicatrices abeuntibus, aegrotam, at naso privatam, hebdomadibus 3 circumactis, sanatam e nosocomio dimittere licuit.

## Caput IV.

### D y s c r a s i a e.

Ex magna hac morborum classe casus plurimi ad *syphilidem* hic Dorpati pro rata parte frequentissimam pertinuerunt, cujus formae diversae in observationem venerunt. Syphilidem primariam ulcerosam observandi in aegrotis 24 oblata est occasio, ex quibus 17 amb., 7 stat., et quidem v. 20, f. 4 fuerunt. Quam sexuum rationem equidem ex pudore naturali repetendam esse censuerim, quo feminae adducantur, ut explorationem tam multis praesentibus fugiant. Attamen non totus aegrotorum amb., quos diximus, numerus

curae clinicae est submissus, sed magna eorum pars, diagnosi statuta, in nosocomium urbanum missa, tum quia, lectorum numero exiguo, paucos licet in nosocomium recipere aegrotos, tum quia curationis in ipsa aegrotantium domo instituendae eventum parum suffecturum esse praevideri poterat, quoniam aegri partim ob ignorantiam, partim ob paupertatem conditionibus ad curam necessariis minime satisfacere possunt. Quo factum est, ut ex aegrotis cura polyclinica tractatis tantum 4, in nosocomio stat. omnes, ergo in universum 11, sanarentur. Quamvis et discentibus et docentibus ulcerum syphiliticorum secundum ipsorum indolem in classes diversas divisio maximi sit momenti, tamen eadem in practico artis usu minoris est dignitatis. Namque, ut taceam de diagnoseos difficultate, curatio fere eadem manet, quoniam ulceris syphilitici species omnes indicia gravissima haud diversa praebent, atque remedia magis secundum ulceris indolem sunt deligenda. In nosocomio nostro raro evenit, ut brevi post infectionem tempore casus in observationem veniat, quia alii, inertia ducti, alii, ne status suus innotescat, metuentes, aut rationem expectativam ineunt, aut curae privatae se mandant, quum neutram earum rationum ad sanationem sufficere intellexerint. Itaque cura localis ope causticorum institui nequit, quia, ne virus in corpus jam receptum esset, timendum erat. Verumtamen, utrum nova infectio localis, an syphilidis constitutionalis symptomata in affectionis primario loco adsint, quum hujus generis homines fide satis digni non sint, certo dijudicari non potest. Ex remediis adhibitis num hoc vel illud ceteris praestare putandum sit, casuum numero exiguo, quum clinices intersit, remedia quam diversissima in usum

vocari, non licet certo constituere; ubi autem tam pauci observati sunt casus, nulla ex iis conclusio deduci potest. Hydrargyri praeparata, uti sublimatum, calomel, hydr. oxydat. rubr., mercur. praecipitatus ruber aequae, ac kalium jodatum et cura ope decoctorum, valuerunt. Fortissima praeparatorum efficacia neque exoptata neque adducta est; salvationi membranaeque mucosae affectioni gargarismatis ex substantiis adstringentibus, uti alumine, borace, infus. herb. salviae, paratis limites sunt positi. Kalium jodatum tum libentissime in usum est vocatum, quum jam antea hydrargyrum in corpus invectum erat. Praeter remediorum modo dictorum usum ulcerum cura localis neququam neglecta est, verum semper indicio ulcus syphiliticum in ulcus simplex mutandi satisfactum. Qua de re, prout rerum conditiones postulabant, lapis infernalis, vinum aromaticum vel simpliciter aqua tepida in usum sunt vocata.

*Bubones*, qui in syphilidis sequelis fuerunt, non erant nisi symptomati, quam ob causam cura adversus eos inita simplicissima erat. Si quando resolutio fieri potuit, intumescientiae aut ungu. hydr. cin. inunctae pressuique modico expositae, aut cataplasmatibus calidis sunt tractatae, sive facilius resorptionis sive suppurationis adjuvandae causa. Qua coepta, incisiones factae sunt, ulceraque sic exorta secundum suam quodque indolem tractata.

Affectiones *syphiliticae secundariae* tum penis orisque et faucium membranas mucosas, tum cutem aut ulcerum aut exanthematum forma corripuerunt. Virorum major, quam feminarum, numerus nosocomium adiit, id quod ex causis supra memoratis repetendum est. Tres hujus generis aegroti stat., reliqui omnes amb. fuerunt, ex quorum poste-

riobus tantum duo se convaluisse postea retulerunt. Syphilide secundaria affecti malum non tam facile, quam affectiones primarias, animadvertunt, molestias, si quae ex. gr. in faucibus adsunt, pro catarrhi sequelis habentes. Quo fit, ut tum demum artis medicae auxilium invocent, quum destructiones et majorem assecutae sunt ambitum et planius in oculos incurrunt. Saepe accidit, ut cura ope hydrargyri jam perfuncti a lue primaria sibi sanati videantur. Quum igitur satis constet, curatione ope hydrargyri non prospere finita, kalium jodatum quam efficacissimum se praebuisse, in plerisque etiam casibus huc pertinentibus, idque optimo cum successu, huc adhibitum est remedium. Plerisque in casibus, a gr. 5 ter in diem datis initio facto, doses ad gr. 10 auctae sunt, quo facto, ulceris syphilitici symptomata brevi evanuerunt, dosi non, uti multi praecipiunt medici, ad gr. 30 adaucta. Faucium ulcera linctu Rustiano tractata sunt. Quae curandi methodus decoctis e speciebus lignorum parati usu adjuvari solebat. Uno in casu cura ope inunctionis a Rust commendata, kalii jod. usu postea subjuncto, adhibita est, quo in casu aegrotus convaluit. Aegrotus alter, qui jam antea remediis mercurialibus et kalio jod. usus fuerat, solis decoctis adhibitis, sanatus est.

Ex aegris *syphilide tertiaria* affectis, qui, 6 numero, in nosocomio stat. curati erant, unus, statu in melius mutato, reliqui omnes, valetudine restituta, postquam decoctis Zittmanni et Pollini, kalio jodato, semel cura inunctiva usi sunt, e nosocomio dimissi sunt. Syphilidem, hic Dorpati qualem se exhibeat, Dr. Kehrberg<sup>1)</sup> uberius descripsit.

1) Kehrberg, Dissert. inaug.: Disquisitiones clinicae de syphilide Dorpati grassante. 1854.

## Caput V.

### Organorum respirationis morbi.

Quamvis rarae sint nostri in sregionibus *strumae*, tamen hoc anno duas observandi praebita est occasio. Aegrotata struma lymphatica dextra laborans, in nosocomio ambulatorio curata, kalio iodato tum usu interno tum externo tractata est, cujus curae tamen quinam fuerit successus, cognoscere non potuimus. In casu altero virago, ex longiore temporis spatio nupta neque tamen partum nixa, in nosocomio stat. est tractata. Tumor sinistrum colli latus obtinens, magnitudine pugnum viri adaequante, laryngem paululum dextrorsum premendo multum aegrotatae in respirando molestiae effecit. Jam annos 8 hoc tumore paulatim augescente laborans, jam antea artis auxilium, attamen frustra, imploraverat. 7 per menses iodo et externe et interne usa, non magis, quam vi galvanica applicata, et setaceo in tumore per annum gestato, sanata fuerat. Strumae quum tanta esset magnitudo, quoniam periculum erat, ne organa vicina laederentur, totalis ejus exstirpatio non videbatur suscipienda esse, quum praesertim, ne suffocatione mors inferretur, metuendum non esset. Porro et incisionem et excisionem partialem, quippe quae non plus valeant, quam setaceum antea gestatum, non suscipi placuit. Denique, quum non esset complicatio cum struma vasculosa, quumque operatio et periculosissima sit, et successu careat, arteriae thyreoideae subligatione abstinendum esse visum est. Quae quum ita essent, ligatura subcutanea, uti cura aptissima, supererat, quae, quum primo explorandi causa parvae tumoris parti applicata esset,

satis bene perferri poterat. Ligatura altera, quae, priore delapsa, applicata est, majorem strumae partem complectebatur, et, non ita magnopere deminuta, quum per hebdomades 6 in struma mansisset, suppuratione orta, expulsa est. Tumoris collique peripheria, antequam ligatura applicaretur,  $16\frac{3}{4}$ '' fuerat, jam  $15\frac{1}{2}$ '' adaequabat. Aegra, curae longinqua parum prosperae pertaesa, sanitate non restituta, nosocomio excessit.

## Caput VI.

### Organorum nutritionis morbi.

Aegrotus quidam stationarius ex posterioris parietis pharyngis ulcere, ex *abscessu retropharyngeo* quod ortum erat, laborans rogatu suo, octo, postquam receptus erat, diebus transactis, non sanatus ex nosocomio est dimissus. Quo tempore ei infus. herb. salv. cum tra myrrhae ad ulcus linendum datum erat, quod saltem ulceris fundum purificavit, pure et tela cellulosa mortificata impletum. Notatu dignum videtur, ex annorum circiter 20 spatio ejusmodi casum in nosocomio nostro non fuisse observatum.

Ad curam *herniarum liberarum* quod attinet, bracherii apte applicati usus multo plus valere videtur, quam operatio radicalis, qua malum tolli creditur. Etenim nulla earum, quae commendatae sunt, methodorum finem propositum certe consequitur, quo adde, quod earum pleraeque, periculo haud exiguo allato, nullo modo suadendae sunt. Omnes id spectant, ut herniae prolapsus vel cicatricis contractione vel porta herniae lobo cutaneo obstructa impediatur; verumtamen tempore progrediente cicatrix dilatatur, thrombusque

minor minorque factus facile, ut hernia prolabatur, permittit, eoque magis incarcerationis et herniotomiae subsequentis ansam praebet. Etiam si observationes Rothmund Monacensi oblatae huic sententiae obloqui videantur, tamen vir doctus aegrotos non satis diu observavit, ut certos efficere posset conclusiones.

Ex casibus in nosocomio nostro tractatis primus *herniam umbilicalem congenitam* in infante hebdomades 7 nato obtulit, qua hernia collodio oblita, tamen, quinam curae fuerit eventus, compertum non est. In casu altero, quo *hernia inguinalis externa acquisita incarcerata* adfuit, taxis ad reponendam suffecit; casus tertius, quo operatio necessaria visa est, dignus videtur, quem describamus.

Jerofim Ivanoff, annos 56 natus, corporis constitutione debili atque anaemica, Kal. Sept. in nosocomium est receptus. In latere dextro, fere medius inter spinam ossis ilei anteriorem superiorem tuberque ossis pubis, introrsum ac deorsum ad anteriorem anulum inguinalem versus tumor adfuit, qui ab hoc loco directione obliqua inferius inferiusque in scrotum descendebat. Forma erat conorum duorum, quorum bases inter se oppositae sint, idque ita, ut apex alter fere in scroti fundo situs esset, basi fere trientem scroti obtinente. Tumor nec calore adaucto nec colore peculiari a corporis reliqui cute discrepabat. Annulus inguinalis, quem non licuit plane persentire, annulo inguinali posteriore lineam mediam versus pulso atque anteriori propius admoto, latudine aucta, longitudine deminutus erat. Teste leniter deorsum tracto, funiculum spermaticum pone tumorem situm esse, tactu cognoscere licuit. Excepta parte exigua, in qua testis persentiri poterat, totum intumescencia scrotum dextrum obtinebat, ac superficie aequabili elastica apparebat. Aeger vehementissimos dolores et in annuli inguinalis postici regione talem percipiebat sensum, quasi intestina sua constricta essent; dolores per totum abdomen tendebant. Praeterea, alvo

omnino obstructa, ructus atque nausea et vomitus alternabant. Aegrotus, jam per annos 30 ex tumore laborans, qui, antea parvus, multos per annos facile reponi potuerat, quum ante biennium reponendi conatus secus cecidisset, ut in nosocomio operationi cruentae sese submitteret, coactus fuerat. Unde quum bracherio instructus excessisset, postquam id duos per annos gestavit, denique, se radicitus sanatum esse ratus, illud deposuerat. Quo facto, statim exorta erat intumescencia, quam quum reponere non contigisset, ex dierum 6 spatio praeter omnia cetera, de quibus mentionem fecimus, symptomata alvi obstipatio extiterat. Obliqua tumoris directio, quae tamen, annulis inguinalibus propius admotis paulo minus, quam solet, conspicua erat, funiculus umbilicalis solummodo pone tumorem tactu percipiendus, intumescencia paulatim orta, nulla, quantum aegrotus retulit, causa occasionali praegressa, suspicionem moverunt, herniam inguinalem adesse. Alvi obstructio, dolores per totam herniam tendentes, praesertim autem, quo loco hernia exierat, percepti, ructus vomitusque et febris diagnosin, qua herniam incarceratam esse conjectatum esse, certam reddiderunt. Intumescencia aequabilis, ejus natura elastica, alvi obstipatio perpetua certa praebuerunt signa, ex quibus intestinorum partes in sacco hernioso inesse appareret. Itaque adfuit *hernia inguinalis, externa, acquisita, incarcerata, intestinalis, scrotalis*. Prognosis, uti in herniis incarceratis semper infausta est, ita hoc in casu aegroti aetate exacta eoque infaustior est reddita, quod semel jam facta erat operatio. Taxis nullo successu futuram esse, quum praevideri posset, herniotomiam suscipi placuit. Aegroti ope chloroformyli sopito mensaeque imposito, plica cutis angulo ad herniae longitudinem recto dissecta et ope cultri specillo excavato ducti fascia superficialis, tunicaque vaginalis communis et nonnullae cremasteris fibrae atque tela cellulosa laxa disjunctae sunt. Inde, quo loco maxima erat fluctuatio, saccus, qui aderat, incisus est, qui, quamquam herniotomia jam successerat, tamen cognitus est herniosus esse. Quo facto, apparuit intestinum laeve splendensque, quod inerat, partem ilei esse. Saccus herniosus cum tunica vagi-

nali concreverat. Annulus inguinalis posterior, quum nimis angustus esset, operatione cruenta dilataretur necesse fuit. Quem in finem herniotomum a Blandin inventum in usum conversum est. Suffecerunt scarificationes 3. Digitis oléo inunctis quum partes intestini repositae essent, quoad annulus abdominalis retraheretur, expectatum est, indeque ad vulnus ocludendum atque vincendum accessum est. Paulo post dosis olei Ricini data alvum duxit. 3, postquam receptus fuerat, hebdomadibus elapsis, aegrotus, brachium jam non deponere jussus, e nosocomio dimissus est.

*Prolapsus ani* in nosocomio amb. est repositus.

## Caput VII.

### Organorum uropoëticorum et genitalium morbi.

*Urethroblennorrhoeae* stadio chronico in observationem venere, qua de re secretum jam liquidum aquosumque erat, atque nec cura abortiva nec interna adhiberi poterat, malum ipsum autem pro locali habendum erat. Omnes, qui huc pertinent, aegroti, et plerique quidem adstringentibus tantini, zinci sulf., saepissime autem nitratis argenti injectionibus, in nosocomio amb. sunt curati. Uno in casu urethra stylo e lapide infernali parato usta est; in alio, vera strictura jam orta, candela cerata in usum vocata. Statum aegroti in melius mutatum esse, atque sanationem restitutam, tantum singulis in casibus relatam est.

Ex aegrotis 4 *phimosis* affectis 3 *phimosis* congen. laborantes operationem subierunt, quae in duobus membranae mucosae scarificationibus, in tertio secundum methodum a Ricord commendatam instituta est.

*Hydroceles* tunicae vag. test. comm. observati sunt

casus 7, et quidem in nosocomio amb. 4, in stat. 3. Illis, majore ex parte infantibus, in quibus malum non tam diu duraverat, neque tam late extensum erat, medicamina, uti liquor ammon. caust., tra jodi, tra cantharidum ad usum externum data sunt. Aegroti stat., ex hydrocele tunicae vaginalis testis laborantes, dilutae trae jodi injectionibus, fluido ante ope acus triquetrae ex scroto emisso, se submiserunt. Quorum unus, in utroque scroti latere eodem affectus malo, quod tamen in latere dextro gravius erat, ita ut tumorem vix ambabus manibus complecti liceret, excisione tunicae vaginalis optimo cum successu curatus est. Aqua denuo in latere altero accumulare coepit, quum aegrotus nosocomio excessit. Quod excisio non facta est hoc quoque in casu, quum injectio successu caruisset, in causa erat aegrotus, qui amplius in nosocomio retineri non potuit. Tertius aegrotus stat., in quo excisio optimo cum eventu facta erat, jam hebdomadibus 3 elapsis, nosocomium reliquit. Quod attinet ad curae unius vel alterius prae ceteris praestantiam, lectores ad dissertationem a Korabiewicz<sup>1)</sup> conscriptam delegamus.

Mulier ex *elythroblennorrhoea* laborans, in nosocomium stat. recepta, toto habitu suo anaemiae ac debilitatis signa prae se ferebat. Inspectio ocularis genitalium internorum ope speculi vaginae instituta verrucas carnosas coloris subrubri tota membranae mucosae superficie per series dispositas ostendit. Omnes hae partes muco coloris albi viscido acidoque obductae erant, dum portio vaginalis colore ex flavo rubescente tincta per os uteri verrucis velut margaritis obsitum fluxu continuo mucum ex flavo rubicundum serosumque reactionis alcalinae emittit. Aegrotam hoc malo per plures jam annos nihil incommodi afferente affectam fuisse, ana-

1) Korabiewicz: Dissert. inaug. De diversis hydroceles curandae methodis. Dorpati 1852.

mnesis docuit, solumque anno postremo eam macrorem existisse viresque deminutas esse. Cura, si discesseris trae asae foetidae usu, quo molestiae hystericae impugnatae sunt, non fuit nisi externa. Quotidie tempore vespertino aluminis  $\xi\beta$  cum aquae font.  $\xi\text{vi}$  in vaginam injecta, semelque in die granulationes alumine solido contractatae. Nonnullis temporis spatio interjecto, pro alumine lapidis infernalis stylus adhibitus est substantiaeque dictae, attamen nullo successu, in cavum uterinum injectae sunt. Semestri exeunte quum aegrotata e nosocomio excessit, nisi quod mucii secretio paulatim deminuta erat, ejus valetudo parum in melius mutata fuit.

Hoc in casu, certum est, dietam nutrientem domiciliumque bonum et aëra purum plus, quam omnia medicamina, profutura fuisse; attamen aegrotata pauper haec sibi comparare non poterat.

Femina ad aspectu debili, urina continuo e vagina stillante, in nosocomio nostro artis auxilium petivit. Exploratione facta, femora et genitalia externa excoriata, partes, quas posteriores dixi, tumefactae atque inflammatae, et perinaeum ruptum apparuere. Vagina, unde continuo urina fluebat, tantae erat angustiae, ut speculum vaginae introduci non posset, digitusque index non nisi aegerrime intraret. Quo immisso, in vaginae pariete antico apertura deprehensa est, per quam in vesicam urinariam perveniri atque ibi symphysis ossium pubis nec non antroversio uteri persentiri potuerunt. Qua in re urina perpetuo secundum manum explorantem effluebat. Mulier se ante menses 3 partu difficili lecto affixam, quum se curae animum commisisset, deinde, quod istae nihil profecissent, medicum in auxilium vocasse narravit, qui, forcipe applicata, partum ad finem adduxisset. Quem medicum jam perinaeum diruptum et vaginae membranam mucosam jam dilaceratam invenisse. Nonnullis post partum diebus urinae per vaginam profluvium initium cepisse, quo paulatim mutationes modo descriptae provocatae fuerint. Apertura, transversam ad vaginae longitudinem obtinens directionem, ea fuit magnitudine, ut digiti indicis apex immitti posset. Ad momenta

aetiologica quod attinet, *fistula vesicovaginalis* adfuit, quam dubium non erat, vaginae pariete antico et vesica urinaria ex partu difficili per triduum continuato rudique artis auxilio exulceratis et ad destructionem gangraenosam adductis, exortam fuisse. Ob vaginae angustiam suturae cruentae ad fistulam claudendam applicatio suscipi nequirit, neque obturamenti usus, quoniam et saepe successu caret et multum expostulat temporis, ut effectum exhibeat, aptus esse videbatur. Itaque non superfuerunt nisi cauteria, ex quibus, auctore Chelio<sup>1)</sup>, ferro candenti primae delatae sunt. Dilatio vaginae cicatricis contractione coarctatae ope spongiae effecta, et insessus calidi denique effecerunt, ut speculum vaginae perangustum atque cauterium applicare liceret, quorum posterius perexiguam fistulae contractionem produxit. Inunctionibus oleosis mitibusque, ac summa observata munditia interim genitalium externorum status in melius conversus erat. Cauterium ne iterum adhiberetur, aegrotata recusavit, eoque, quo diximus, statu nosocomium reliquit.

Nostro in nosocomio ob aegrotantium impatientiam numquam contigit, ut feminae hoc malo laboranti sanitas restitueretur.

## Caput VIII.

### Systematis vasorum morbi.

Semel tantum *telangiectasis* faciei observata est, quae inde a glabella circa oculum sinistrum ad os usque porrecta densis obsita erat pilis. Excisiones partiales secundum methodum Dieffenbachianam saepius institutae, quae exulcerationes per complures menses continuatas in sequelis habuerunt, tela massis lardosis infiltrata ideoque sanationi per primam intentionem non apta, successu caruerunt. Acidum nitr. fumans postea compluries adhibitum ad pilos tol-

1) Chelius: Ueber Heilung der Blasenscheidenfistel durch Cauterization.

lentos quidem, neque tamen ad tumorem magnopere deminuendum valuit. Qui casus, pariter atque alii, documento est, non sufficere ad malum amovendum methodum Dieffenbachianam.

## Caput IX.

### Ossium morbi.

Ossium diversorum *caries* in aegrotis 8, quorum 5 f., 3 v., 5 amb., 3 stat. fuerunt, observata est. Ex tribus stat. unus, ex anno superiore in nosocomio relictus, primis semestris diebus mortuus est.

Aegrotus alter, mense Jan. receptus, pelvis lateris sinistri carie laborabat. Circa acetabulum 3 apparuerunt ulcera, ductuum fistularium ostia, in quorum 2 profunde penetrare licuit, nullo corpore solido obvio, in III autem os asperum ac porosum brevi ope specilli attingi poterat, quae degeneratio tamen quousque pertinerat, exploratione eruere non contigit. Sinistrum pelvis latus 4'' altior dextro situm habebat, atque extremitas inferior respondens, in genus articulatione inflexa, tantodem brevior cernebatur, quam lateris sani. Corpus aegroti, qui dyscrasia se unquam laborasse negabat, malo per complures menses continuato exhaustum, methodum roborantem adhiberi postulavit, dum ad malum locale impugnandum, exceptis aquae in ductus fistulares injectionibus vincturae simplicis apta, nihil curae institui poterat. Viribus quodammodo corroboratis, statu tamen parum in melius mutato, aegrotus, quum per menses 3 in nosocomio adfuisset, inde discessit.

Prognoseos aequae infaustae, atque casus modo enarratus, alter semestri exeunte observatus fuit, in quo aegrotus ex carie pelvis laborans in annum subsequentem in nosocomio mansit.

Aegrotis amb., nisi ut summae studerent munditiae, imperari non potuit.

Aegri 5 *necrosi* affecti nosocomium amb. adierunt, quorum curatio, excepto uno, in quo digiti medii phal. I. et II. extrahi opus erat, sola constabat vinctura simplicis.

Ex aegrotis 12 *fracturis* laborantibus 4 amb., 8 stat. fuerunt. Ex prioribus in nullo curam institui placuit, namque fractura in casibus 3 claviculae, in 1 radii jam ante tantum temporis spatium contracta fuerat, ut nimia, quae formata erat, massa callosa, quominus deviatio ossibus coaptatis in integrum restitueretur, impedimento esset. Attamen, quum fracturae in iis exstarent ossibus, quorum deviatio homines, ne opera facerent, non impedirent, non visum est, denuo insultum violentum repeti.

Ex aegrotis stat. unus fractura femoris dextri affectus, qui ex anno superiore in nosocomio remanserat, inde semestris initio sanitate restituta dimitti potuit. Fractura digiti ind. et dig. III man. sin. phalangem dig. ind. I amputari, nec non fractura completa phalangis I halli sinistri hoc os amputatione auferri poposeit. Utroque in casu sanatio post hebdomades 3—4 successit.

*Fissura acetabuli* tantum, ut aegrotus quiete in lecto se contineret, cingulumque pelvi circumdaretur, postulavit. Quo in casu quum ab initio et crepitatio et dolor ansam dedisset fracturam colli femoris intra lig. capsulare statuendi, tamen, quum aegrotus diebus 6 transactis incedere posset, haec diagnosis subversa est.

Unius solum casus letalis fuit exitus. Quo in casu, quum aegrotus in nosocomium receptus esset, supra m. deltoidei insertionem hujus musculi cutisque perforatio apparuit, unde os humeri

oblique fractum prominebat. Brachium intumuerat, fracturamque aegrotus, arbore lapsa, ortam esse contendit, qua re mentis impotem se jacuisse affirmavit. Parva capitis sugillatione excepta, aliae corporis laesiones non adfuere. Aegro ope chloroformyli sopito, ossis fines repositi, partique affectae ferulae sunt appositae. Aliquot horis exactis, deliria furibunda ingruerunt, quibus aegrotus, horis 24 elapsis, mortem obiit. Cadaveris sectio fissuram cranii ostendit, quae, a dextro foramine optico incipiens, transversum per ossis cuneiformis corpus, ossisque temporalis partem petrosam usque prope spinam occipitalem externam porrigebatur; quam fissuram Dr. Keilmann<sup>1)</sup> uberius descripsit. Nisi cadaveris sectio medullam oblongatam inflammatam monstrasset, suspicio suboriri potuisset, et deliria furibunda et mortem ex narcosi ope chloroformyli effecta originem duxisse.

Uno in casu, quo femoris dextri fractura media simplex aderat, postquam aegrotus per hebdomades 6, ferulis applicatis, jacuit, in primo meandi conatu fracturae loco pseudarthrosis animadversa est, quae, uti postea compertum est, vinctura singulis noctibus ab aegroto laxata, orta fuerat. Unde elucet, vincturam e gypso factam eo quoque ceteris praestare, quod eam laxandi aegrotis potestas adimitur. Cura iterata, aeger diligentius custoditus, hebdomadibus 2 circumactis, sanatus nosocomio abiit.

Esthonus annorum 17, ob brachium dextrum graviter laesum receptus, talem adspectum praebuit. Pars dicta intumuerat, anti-brachium manusque vola livida et subnigra cernebatur, in latere dorsali plures animadvertentur colorum varietates. Cutis nonnullis in locis, praesertim in manu ac secundum radium, dilacerata erat, ubi quidem multae adfuere musculorum tendinumque et vasorum disruptorum laciniae, sanie discolore foetidaque circumlu-

1) Keilmann, Dissert. inaug.: Adnotationes quaedam de laesionibus cranii, pag. 9. Dorpati 1855.

tae. Deerant digiti II phal. I, tertii phal. una cum dimidia, dum 3 ossa metacarpalia prima, ossa multangula et os capitatum conquassata, radius pluribus locis fractus erat, ubique hujus ossis assulis conspicuis. Ulna osque humeri intacta videbantur, humero vulnus profundum 3" longum offerente. Mm. supin. long. et flex. carp. rad., arcus dors. et val. disrupti erant. Pulsu centies tricies in sexag. micante, respiratio brevis et accelerata erat; aegrotus, praeterquam sitim acerrimam, nihil querebatur. Anamnesis docuit, aegroti manum inter rotas molares illatam esse. Gangraena incipiens usque ad humeri vulnus porrecta, metus resorptionis puris et exituum ejus infaustorum, aegroti aetas juvenilis, omnium organorum graviorum integritas, ipsiusque aegroti preces, ut operatio in se susciperetur, ut humeri amputatio in triente superiore secundum methodum Textorianam lobum formandi institueretur, adduxerunt. Incisio circularis enim a Dupuytren commendata, quum non superesset satis telae integrae, non visa est in usum vocanda. Aegro ope chloroformyli consopito, operatio facta est. Cura secundaria, nisi quod nonnulla oppugnanda erant symptomata fibrilia, nihil excellens digna non est, quae copiosius describatur. Crebrae cordis palpitationes, quae pro organici cordis vitii symptomate habitae fuerant, ut postea cognitum est, ex anaemia ortum habuerunt.

## Caput X.

### Articulationum morbi.

Articulorum *inflammatio*, quater genus, semel articuli phalangometacarpalis pollicis, vel ex rheumatismo vel ex laesionibus traumaticis orta est. Aegri plerisque in casibus demum, postquam malum jam diutius duraverat atque chronicum esse inceperat, artis auxilium petierunt. Bis cura antiphlogistica adhibita, sanatio successit, in reliquis casibus,

num sanatio facta sit, relatum non est, ceterum verisimile est, non factam esse, quoniam conditionem gravissimam, membri quietem dico, Esthoni partim ignoratione ducti partim necessitate adacti explere nequeunt. Semper tamen locales sanguinis detractiones, unguenti hydr. cin. et vineturae comprimentis usus plurimum valuerunt.

Ex articularum *hydrope* 7 laborarunt, in quibus omnibus jam ante longius temporis spatium membri laesio, subsequente inflammatione, praecesserat. Unde, nullo artis auxilio allato, aqua accumulata fuerat. Cura localis ope tinct. jodi, subiuncta compressione, aut punctura galvanica, semel ad efficiendam sanationem, semel ad statum in melius mutandum suffecit. Aegrotus tertius in eo jam erat, ut convalesceret, quum pneumonia correptus mortem obiit. In femina quadam ex carie cubiti laborante, quum nulla alia sanandi spes superesset, quoniam propter os humeri destructionem resectionem exsequi non licebat, amputatio humeri susciperetur necesse erat. In duobus *arthrocaces* cubiti et genus casibus humeri et femoris facta est amputatio. Ceteris aegrotis ol. jecor. aselli datum est, quia, diathesin scrophulosam adesse, praesumendum videbatur, aut derivationes ope foniculorum sunt institutae.

### Caput XI.

#### Musculorum, tendinum et vaginalium tendinum morbi.

2 harum telarum *inflammationes* antiphlogosi aptae cesserunt; semel ganglion tendinis flex. dig. min. man. dextrae extirpatum est.

Quae observatae sunt *contracturae*, una mm. palm. long., flex. carp. rad. et uln., ex paralyti apoplectica centrali orta, qua in melius mutata aegrotus dimissus est, altera mm. flex. hal. long. et flex. dig. ped. com. longi fuerunt. In casu priore tenotomia eo, quem diximus, eventu, in altero successu optimo est instituta. Puer annorum 7 ob pedum amborum deformitatem, auxilium petiturus, nosocomium adiit, quam deformationem pedes equinos esse, cognitum est. Indicio pedum extendendorum tenotomia subcutanea tend. Achill., subiuncta cura orthopaedica, quae spicae pedis et caligae Piragoffianae usu constabat, satisfactum est. Interea pes alter apparatus a Stoess invento impositus erat, in quorum apparatusum locum postea caliga Scarpiana, in qua claustrum a Carus et Baerens constructum inest, substituta est. Aeger initio fulcris, postea baculo nisus incessit. Denique baculo quoque supersedere poterat. Exeunte semestri pede altero sanatus e nosoc. est dimissus. Semestri sequenti denuo receptus, quum eandem pedis alterius curam subiisset, eodem successu prospero curatus est.

### Caput XII.

#### Systematis nervorum morbi.

Uno in casu, in quo cerebri commotio, janua in caput delapsa, exstiterat, fomentationes frigidae, sanguinis detractiones ac derivationes in tractum intestinalem tantum valuerunt, ut aegrotata, diebus 5 elapsis, sanata dimitti posset. Curae antiphlogisticae successus documento est, tantum commotionis cerebri sequelas, nempe partium cerebri inflammationem, adfuisse.

**THESES.**

- 1) **Herniarum operatio radicalis, quae dicitur, rejicienda est.**
  - 2) **In curanda hydrocele tunicae vaginalis testis communis excisioni incisio est praefenda.**
  - 3) **In praxi privata cataractae extractio raro exsequenda.**
  - 4) **Methodus cataractae perforandae saepius, quam solet, in usum vocanda.**
  - 5) **Foetus unius partus secundum anatomicam genitalium muliebrium structuram in exceptione habendus est.**
  - 6) **Aptum foret, in quovis puero recens nato circumcissionem praeputii institui.**
-